

XLVI
DISPUTATIO DECIMANONA 1621 19

COLLEGIJ
INSTITUTIONUM JUSTIN. IMP.
DE

FURTO ET

Rapina.

Quam

D. T. O. M. A.

Consensu Nobiliss. & Ampliss. Facultatis Juridicae
in celeberrimâ Academia Francofurtana

SUB PRÆSIDIO

WILHELMI WULCKOVII

Luneburg.

Suis Nobiliss. & Præstantiss. Dnn.

Collegis

Exercitii gratia examinandam

proponit

MARTINUS MILAGIUS

Torga-Misnicus.

Ad diem 14. Julij horis locoque solitis

ANNO

M. DC. XXI.

Literis HARTMANNIANIS.

Clarissimo et Excelle-
tissimo Viro, Dn. M.
PÈTRO À MENA, S.
la Sedestana Ser-
tonie Rectori felicis
mo, Dn. et promot
suo, omni obser-
tia colendo
mittit R.

Viro Clarissimo, Consultissimo, Excellentissimo,
D N.

CYRIACO HERDESIANO,

*Jcto & Historico insigni, in alma Viadrina Professori
publ. ordinario.*

*Dn. Favitori ac Præceptoris suo atatem
colendo.*

U T E T

V I R O

*Ampla dignitate, Spectata Prudentia, longo rerum usu
maximè conspicuo,*

Dn. PETRO Schulzen / CONSULI

Writzenfium gravissimo.

*Dn. Patrono ac Evergetæ suo parentis
loco venerandæ*

*Disquisitionem hanc legalem
debita observantia & gratitudinis
symbolam*

Offert

Autor & Respondens,

ANNO
M. DC. XXI.

LICHTHARTMANIANIS



DE O DVCE

Affertio I.



Urtum est contrectatio fraudulosa, lucrī
faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam u-
sus ejus possessionisve, quod lege natura-
li prohibitum est admittere.

Ex §.
furtum.
I. I. de
obligat.
que ex
del.

§ 1. I. de oblig. que ex del. l. 1. § 3. ff. de furt.

Triples furti notatio datur in § 2. I. d. t.
d. l. 1. in pr. ff. de furt. aut enim à fraude, aut
à furvo, vel à ferēdo deduci potest, quam

postremam, utpote à forma furti desumptam notato conve-
nientiorem putamus, Wesenbec. in par. nu. 2. de furt. Rectè au-
tem in fine illa verba (lege naturali prohibitum) adduntur,
turpe siquidem est furtum natura l. 42. de V. S. Treutl. 2. disp. 30.
tbes. 1. lit. B. quamvis quarundam gentium exempla obstant:
non tamen ex perversis illarum morib. jus naturale infrin-
gimus, arg. l. 12. ff. de offic. pras. Borcb. ad §. 1. I. de nupt. nu. 8. Gædd.
ad d. l. 42. n. 7. § 8. de V. S. & ob poenæ remissionem non evelli-
tur rei turpitudine l. 7. C. de sent. pass. Vid. Bachov. ad Treutl. 2. disp.
30 t. 1. lit. B. Hinc furtum in loco, ubi impune exercetur, cō-
missum, nihilominus furem alibi comprehensum gravare
potest, per d. § 1. I. b. t. Berlich. p. 5. concl. 43. nu. 111. § seq.

II.

Præcipua furtorum divisio est, quòd aliud sit manife-
stum, aliud nec manifestum.

Ex §.
furto
autem §
I. h. 6.

Illud est, cum quis è τὸ αὐτοφώγω, vel in loco furti, vel extra
locum sed cum re furtiva, antequam ad destinatum locum
perveniat, vel à domino ipso vel ab alio deprehensus aut vi-
sus fuerit, ut tamen posteriori casu exclamatio accedat l. 7.
§ 1. ff. b. t. Vult. 1. I. R. c. 48. Schneid. ad § 3. b. t. Hoc contrà. d. § 3. l. 3.
ff. de furt. Hanc divisionem nonnulli è nostro foro prorsus
sub-

sublatam autumant, cum extraordinarium remedium ad-
versus fures sit introductum *l. fin. ff. de furt.* & parem pœnam
uterq; fur incurrat, *Obrecht. disput. 30. tb. 16.* verum expressa e-
jus fit mentio in Caroli V. Imp. P. H. S. art. 157. v. *Cher da-*
mit in seine gewarsamb kômpt/ etc. ibidemque ipse Imp. ad pœ-
nam mitigandam distinctione inter furtum manifestum &
occultum utitur *art. 151. vid. Infr. tb. 13.* Furtum quoq; aliud est
diurnum, aliud nocturnum *l. 54. § 2. b. l. l. 1. § 2. de fur. baln. l. 4.*
§ 1. ad L. Aquil. P. H. S. art. 167. Nocturnum furem impunè
quis occidere potest, tamen juxta dispositionem *l. 9. ff. ad L.*
Corn. de Sic. Ratio videtur hæc esse, quia noctu non potest in-
clamari auxilium, vel quia eo tempore non potest discerni,
an ad furandum, an ad occidendum quis veniat, *Bachov. d.*
disput. 30. tb. 2. lit. B. furem diurnum nequaquam, nisi telo se
defendat *l. 54. § 2. ff. b. t.* non etiam, si tuo vel proprio equo in-
fidens fur aufugiat, *Obrecht. de necess. defens. c. 8. nu. 12.* Rursum
aliud furtum est simplex, cum quo nullum aliud delictum,
aut circumstantia aggravans concurrit, aliud qualificatum,
quod contra *Theodor. disput. 2. coll. crim. tb. 3.* Item aliud est do-
mesticum, quod à familia committitur in rebus patrisfam.
§ 2. l. b. t. l. 11. § 1. ff. de pœn. Aliud quoq; furtum est tumultua-
rium occasione incendii, ruinae, naufragii vel navis expug-
natae commissum *t. t. ff. de incend. ruin. naufr. l. in eum qui C. de*
furt. Vult. 1. l. R. c. 48. Aliud furtum gregis est, & abigeatus di-
citur *l. 1. ff. de abig.* aliud arborum furtim *caesar. ff. arb. furt. cas.*
aliud improbum, improbius *Wesenb. in par. nu. 8. b. t.* aliud sa-
crum, aliud publicum, aliud hominum *l. 4. § 13 l. 37. § seq. ff.*
de furt. quod plagium propriè appellatur *l. 1. l. pen. § ult. ad L.*
Fab. de plag. l. ult. C. eod. quæ posteriora ad hanc materiam non
pertinent. III.

Ex §. 4 Reliquæ diversarum actionum species, furti scilicet conce-
l. b. t. pti, oblati, prohibiti, exhibiti, tempore Justin. in desuetudi-
nem abierunt.

§ 4.

§ 4. l. b. t. Sicut & priscus per lancem & licium inquiren-
di modus, quamvis etiamnum hodiè contra l. 18. ff. de in jus
voc. § l. 2. C. quand. § quib. quant. part. lib. 10. inquisitio in alie-
nis ædibus fieri possit, si eam non levia urgeant indicia, &
magistratus auctoritas accedat, l. 6. C. de aqueduct. in fin. l. 3. l. 6.
C. de metal. § metal. Treutl. d. disput. 30. tb. 2. lit. A. Res autem fur-
tiva ita reperta, non sufficiens indicium præbet ad torturam
argum l. 3. § 3. ibi: si ignarus recipiat ff. de incend. ruin. naufr. l. 14. C.
de furt. 2. quia duplex inde nascitur præsumtio, turpis &
honestæ, quæ posterior prævalet l. 51. ff. pro Soc. Sich. ad l. 2. nu. 6.
C. de furt. Wesenbec in parat. de probat. nisi aliæ circumstantiæ a-
liud suadeant, Sic. d. loc. Berlich p. 5. concl. 45. nu. 25.

IV.

Furtum committere possunt omnes doli capaces, etiam
impuberes pubertati proximi.

l. iii. de R. l. 23. ff. b. t. l. 13. ff. de dol. mal. cujus ætatis definitio-
nem arbitrio judicis relinquit Heig. ad § 8. I. de inut. stip. eam
tradit Vult. 1. I. R. c. 4. An autem ille furtum faciat, qui putat se
invito domino rem contrectare, cum tamen id volente eo
fiat, quærunt Dd? Disting. inter causam efficientem, secun-
dum quam furtum dicitur in l. 20. C. b. t. § 8. versunde illud. l. b.
t. l. 46. § 7. ff. de furt. maleficia enim voluntas & propositum
delinquentis distinguit l. 53. in pr. ff. de furt. l. 4. ad L. Corn de
Sic. l. 1. in fin. ad L. Pomp. de parric. Vult. ad pr. b. t. n. 37. & effectum,
& eatenus furtum appellari nequit l. 48. § 2. ff. b. t. d. § 8. l. b. t.
Bachov. disput. 30. tb. 1. lit. E. Idem dicimus de eo, qui putat do-
minum consentire, nec suæ opinionis probabilem affert ra-
tionem, quia ei in dubio non creditur arg. d. l. 48. § 3. ff. b. t. in
tantum, ut licet postea ipse dominus, pendente inquisitione
judicis, prece aut pretio corruptus fateatur, sua voluntate
illam rem fuisse contrectatam, non ideò inquisitio sit inter-
mittenda, Treutler. d. disp. 30. tb. 1. lit. E. S. breidv. ad § furtum
num. 7.

nu. 7. I. b. t. nisi cum excusent indicia quædam, quæ recenset Berlich. p. 5. concl. 44. nu. 59. Schneid. d. loc. Furiosi autem & impubes, infantia proximi, cum nullum eorum iudicium sit, nulla voluntas l. 40. de R. I. & absentium loco habeantur l. 124. eod. l. 2. § 3. de jur. codic. l. 17. § 11. de injur. l. 209. de V. S. huic catalogo non attextuntur.

V.

Furtum versatur circa res alienas, in alicujus bonis existentes, mobiles & corporeas, quæ propriè contractari possunt, cujuscunq; sint pretii aut quantitatis.

Non enim ex quantitate furtum æstimamus l. 37. de usucap. ac proinde minimæ quoq; rei furtum fieri potest § gallinarum. I. de R. D. in pr. I. vi bon. rapt. arg. l. 22. in pr. ff. de damn. inf. Nov. 63. c. 1. criminalis verò actio tunc non competit P. H. D. art. 167. v. Wo aber jemandt. Wesenbec. ad d. § gallinarum de R. D. quemadmodum nec hodiè criminaliter agi potest, quando furtum tres vel duos aureos non superat, Wes. hic nu. 10. § ff. de dol. nu. 6. Res alienas intelligimus vel in totum, quæ nullo jure nostræ sunt, vel pro parte, quæ ad nos & alios simul spectant jure aliquo, puta societatis l. 45. b. t. l. 45. l. 51. ff. pro Soc. § 10. I. b. t. hypothecæ l. 66. in pr. b. t. pignoris § unde constat. I. b. t. neq; liberatur debitor, si creditori postea debitum offerat, Treutler. 2. disput. 30. t. b. 1. lit. D. § ibi Bacov. de jure scilicet civili: usus l. 1 § 3. ff. b. t. usufructus l. 1 § 15. ff. si quis testam. lib. Contrà si creditor rem liquidò sibi debitam moroso debitori clam aufert, furtum facit § 1. I. b. t. l. un. C. ne quis in sua caus. l. 13. ff. quod met. caus. l. pen. ad L. Jul. de vi priv. Quod ad famulum etiam, qui pro mercede, quam à domino impetrare non potest, aliquid subtrahit, extendimus l. 176. de R. I.

VII.

In bonis alienis existunt quoq; res amissæ & inventæ, item merces levandæ navis causa ejectæ.

§. fin.

in usum concedat *l. 57. § 1. b. t.* Species enim lucri est de alieno largiri & sibi velle acquirere *d. l. 54. nisi putaverit, se hoc volente domino facere l. 15. b. t.* quod probare debet, *Schneiduv. ad § placuit b. t.* Quæ autem probatio sufficiat, arbitrio iudicis relinquit *Menoch. A. I. Q. cas. 278. nu. 3.* Quòd si in dubium vocatur religio iudicantis, an scilicet commodatarius verisimiliter ita crediderit nec ne, statur juramento commodatarii, *Berlich. p. 5. concl. 44 nu. 17.* Item si credi or pignore utatur *l. 4. b. t.* qui jus ἀντιρροσως in eo non habet constitutum. Item nuncius, pecuniam sibi creditam, ad alium perferendam in suos usus vertens *l. 7. C. de furt. ubi Sicb. l. 14. § 9. b. t.* nec refert, an ei pecunia sit numerata vel consignata, *Hunn. ad ad Treutl. 2. dispnt. 30. q. 11. Petr. concl. crim. 41.* Ficta contractatio est, cum quis juris interpretatione pro contractante habetur, ut est falsus procurator, qui se presente alii numerare jubet, *l. 43. l. 52 § 11. l. 80. § 6. b. t.* receptator rerum furtivarum, *l. 17. C. de furt. l. 1. de recept. tutor, curator fraudulenter in officio versans l. 33. b. t. l. 4 § 25. de dol. mal. except. l. 1. § 22. de tut. & rat. distrab.*

VIII.

Qui lucrandi animum non habet, nec furtum committit. *l. 52. § 20. l. 39 ff. de furt.* finis enim furti est, lucrum inde facere *l. 1. § 3 ff. b. t.* Qui itaq; res Turcarum aut Barbarorum, quibus non continentur Judæi, vel res depositas aleatorum subtili aufert ingenio, cum non tam lucrum quam studium vindictæ publicè concessæ spectet, ab omni furti actione liberatur *l. non solum C. de commerc. & merc. l. 1. ff. de alea lus. CL. Dn. Herdesian. Præceptor & fautor meus colendis, exercit. Instit. 19. th. 6 lit. E.* An & is, qui rem surripit, ut DEO vel pauperi inde largiatur? Neg. per *l. 54. § 1. l. 43. § 4. l. 6. ff. de furt. c. si non 32. q. 4. Prov. 15. vers. 8.* cum & aliàs ille, qui rem litigiosam DEO devovet, pœna dupli coerceatur *l. fin. de litig. Wesenb. ad § sacra l. de*

l. de rerum divis. Cum autem semel quis animum lucrandi attulit, poenitentia superveniens eum non tollit *l. 65. b. t.* neq; poenam in foro soli impositam evitat, *Aretin inc. accusari. n. 5. extr. de accus.* quamvis illam certo casu nonnihil mitiget, *vid. Infr. tb. 14.*

I X.

Actiones adversus fures olim de jure civili variae fuerunt *Ex 5. 19*
constitutae, exq; vel rei, vel poenae persecutoriae. *l. 1. b. t.*

Rei persecutoriarum, quae neminem infamia notant, prima est actio ad exhibendum, viam muniens vendicationi *l. 1. ff. ad exhib.* in qua certa rei exhibendae indicia & circumstantiae, v.g. signa animalibus inusta, stigmata impressa &c. requiruntur *l. 19. ff. de furt.* Sin minus rerum qualitas inditia recipiat, arbitrio judicis id committitur *arg. l. 1. Sult. ff. de jur. deliber.* Altera est rei vendicatio, quae adversus quemvis possessorem aut detentorem rei furtivae datur; contra furem ita demum, si vel rem possideat, vel dolo possidere desierit, *l. 131. & passim. de R. I. l. 9. de R. V. l. 25. in pr. de O. & A.* non etiam, si ante litem contestatam res sine culpa ejus extincta sit *l. 25. ff. de R. V.* Falsissima autem hic est regula illa, *Handt soll Handt wahren* / & pretium tertio possessori a domino vendicante esse refundendum *l. 2. C. de furt. l. 3. l. 23. C. de R. V. P. H. D. art. 213. ibi: ohne beschwerung* / Excipe sumtus, qui vel in rem ipsam, vel domini utilitatem sunt facti, *Sich. ad d. l. 2. num. 5. C. de furt.* item casum *l. 6. l. 12. § 7. ff. de captiv. Sich. d. loc.* Tertia est conditio furtiva *l. 7. § 1. ff. de condict. furt. Sult. I. de oblig. ex del. § 14. I. de act.* quae odio furum introducta est *d. § 14.* & neque probatione dominii onerat actorem, cui sufficit ostendere, rem furto esse sublatam *Wesenb. in parat. de cond. furt. nu. 4.* neque rei interitu expirat *l. 8. in princ. l. 16. l. fin. de cond. furt.* Competit ipsi domino, cui res sublata est *l. 11. de cond. furt.* ejusque heredibus *d. l. 11.* adversus furem ejusque heredes in solidum. *l. 9. ff.*

l. 9. ff. d. t. l. 7. § ult. eod. Ant. Fab. 4. conject. c. 1. Arum. exercit. 17. t. b. 9.
non contra opem, vel consilium ferentem *l. 6. de cond. furt.*

X.

*Ex §. 5.
I. h. t.*

Actiones pœnæ persecutoriæ, quæ & maculam infamix inferunt, sunt vel ordinariæ vel extraordinariæ.

Ordinariæ ut infurto manifesto quadruplum, in nec manifesto duplum, ubi verum rei pretium non interesse inspicimus *l. 50. de furt. Wesenber. ad § omnes autem actiones nu. 3. I. de act.* Ratio, cur in illo quadruplum, in hoc verò duplum exigatur, non eadem datur ab interpp. Præter Cujacii opinionem, qui in *19. observat. 12.* vult, ut diligentiores plus consequantur quàm negligentēs, & hæc locum habet, quod ea, quæ majus scandalum præbent, graviori pœnæ subjicienda sint *l. 2 § 24. ff. de bon. rapt. c. extenore, extr. de temp. ordin. Schneid. ad h § nu. 4.* Alias rationes eleganter ab antiquitate petitas vid. apud *Bachov. d. disput. 30. t. b. 3. lit. C.* Has autem actiones amplius in usu non esse, testatur *Cœpol. in auth. sed novo C. de serv. fugit. Treutler. d. disput. 30. t. b. 3. lit. C.* Huc quoq; pertinet actio adversus violatores arborum prodita *l. 1. § 2.* quæ etiam pœnalis est *l. 7. § 6. ff. arbor. furt. cæsi* contra subducētes aratra, qui infamia & quadruplo puniuntur, imperiali animadversioni nihilominus reservati *authent. agricultores C. quæ res pignor. oblig. poss.* item contra fures tumultuarios, qui pœna rapinæ afficiuntur *l. 1. in princ. ff. de incend. ruin. naufr.* major enim hîc furandi occasio est, difficilior rerum custodia, & insuper inhumanum, homines ita affictos fortunis & rebus suis spoliare velle, *Bachov. ad Tr. d. disput. 30. t. b. 2. lit. D.* Extraordinariæ actionis mentio fit in *l. fin. ff. h. t.* quæ pœna nunquam ad summum supplicium porrecta fuit, quicquid etiam alii ex *l. pen. ff. de cond. caus. dat.* elicere conentur; excepto abigeatu, cujus quoque pœna extraordinaria est, & modò fustigatione, interdum etiam gladio punitur *l. 1. ff. de abig.*

Dan.

Dantur hæ actiones etiam contra plures furti complices, in solidum, ut alter alterius pœna non liberetur.

l. 21. § pen. b. t. l. 51. § fin. ad L. Aquil. juxta regulam l. 34. de injur. tot sunt delicta, quod delinquentium personæ, Berlich. p. 5. concl. 43. nu. 105. Sed hic grano salis opus est. Distinguendum scilicet cum *Hotom. illustr. qq. 33.* inter totum continuum & totum disjunctum, ut illo casu, quia res uno spiritu continetur, ut loquitur *JC. in l. 30 de usucap. l. 23. § 5. de R. V.* atque ideo singuli eam sustulisse censentur, in solidum singuli teneantur; hoc verò casu, quia res divisionem recipit, quilibet pro rata conveniri possit, ac si quisque suam tantum partem abstulisset *arg. l. 4. § 1. ff. de V. O. Wesenb. nu. 11. in par. b. t.* Sed hæc ad forum nostrum producenda non sunt, Unde & jus Saxon. aliud introduxit, & plures in eodem furto comprehensos, fustigatos relegari debere sanxit, *Nov. El. Aug. p. 4. const. 32. v.* Unde wo ihr viel zu gleich / *Et ibi Moller. nu. 15.* Sed quid si divisio inæqualiter sit facta, ut Mævii portio ad laqueum sufficiat, Titii verò non? Resp. Non esse dictandam pœnam laquei quia divisio secundum arithmeticam proportionem fieri debuisset, *Berlich. p. 5. concl. 43. nu. 127.*

Hodie plerunque universali Germaniæ consuetudine fures in furcam aguntur, nullo habito discrimine sexus.

Quamquam Carolina constitutio fœminas aqua suffocari velit *art. 159.* Pœna autem illa hodie instar juris gentium, quodammodo obtinet, *Wesenbec. in parat. b. t. in fin.* De cujus proportionem licet multi magni nominis tam Theologi quàm Jcti probabiliter dubitent, *Bachov. latè disput. 30. thes. 3.* tamen nos potiùs patriis legibus subscribimus, præsertim cum non de constituendo sed constituto jure disputemus, & solius Imp sit, leges ferre non accipere *Curt. libr. 8. l. ult. C. de lb.*

de lb. de quibus dubitare sacrilegii instar est, d. l. ult. Vult. i. I. R. c. 46. in fin. Arum. disput. pand. 24. tb. 6. facit, quod & olim frequentia pœnam auxerit l. i. de abig. in princ. Non verò promiscuè ob quodlibet furtum gravissima illa pœna dicitur, sed si sit magnum, hoc enim ad furcam sufficit l. i. § sed & qui de abig. l. 4. § i. ff. de inc. ruin. naufr. P. H. S. art. 160. Novell. El. Aug. p. 4. const. 32. § i. v. da es gleichsam sein erster Diebstal / Wesenb. in par. nu. 15. h. t. Quod autem dicatur magnum furtum, de jure communi relinquit arbitrio judicis Berlich. p. 5. concl. 43. n. 26. Constitutio Caroli V. Imp. artic. 157. 160. & Constitutio Elect. August. p. 4. c. 32. sequuntur constitutionem D. Friderici in § si quis quinq; in usib. Feud. de pac. ren. & pro magno furto habent, quod quinque solidos, hoc est, optimos aureos Ungaricos exæquat, Arum. exerc. 17. tb. 7. Berlich. p. 5. concl. 43. num. 27. & seqq. ubi calculum istius summæ subducit nu. 31. Aliàs magnum quoque furtum à qualitate vocant Dd., veluti circumstantia loci, personæ, & c. ut si tenui homini quid subripiatur, Menoch. de A. I. Q. lib. 2. cas. 295 nu. 11. 2. Si sit seditiosum, puta cum effractione conjunctum P. H. S. art. 157. 159. 3. Si tertia vice fuerit iteratum distincto loco aut tempore, P. H. S. art. 162. licet duo priora furta in diversis territoriis sint commissa, Gomez. var. resol. 15. nu. 8. adeò, ut etiam punita furem ab ordinaria pœna non liberent Clar. 5. R. S. § furtum nu. 12. Treutler. d. disput. 30. tb. 3. lit. F. Furta etenim antè admissa non tam ad puniendum faciunt; quàm ad ultimum furtum gravandum, & omnem emendationis spem excludere videntur, quæ magis deficit in eo, qui punitus delictum iterat, quàm qui ut antea, ita porrò se fallere & latere posse sperat, Bachov. ad Tr. tb. 3. lit. F.

XIII.

Ex his apparet, furtum modicum, quod eam summam non ascendit, leviori pœna corrigendum esse.

Mani

Manifestum numellis (vulgò mit dem Pranger) virgis, relegatione simulq; rei restitutione *P. H. S. art. 158.* nisi honestioribus natalibus sint orti, qui quadruplum aut duplum pro quantitate bonorum solvunt, aut temporalem carceris pœnam pro arbitrio judicis sustinent *d. art. 158.* nec manifestum dupli præstatione, cui res ipsa inest, aut carcere plectitur *P. H. S. art. 157.* Aliter jus Saxon. distinguit *Nov. Aug p 4. c. 32. § 3* quod etiam trib. furtis quinque solidos non adæquantibus perpetuam relegationem cum fustigatione imponit, *Berlich. p 5. concl. 43. nu 97.* Hæ & similes circumstantiæ, *vid. tb. seqq.* quæ pœnam vel mitigant vel exasperant, diligenter sunt expendendæ: Judicem itaq; prudentem requirimus, qui subacti sit iudicii, & arbitrium suum intra cancellos juris & æqui cohibeat, cum non de glande legenda, aut oleo, vino, tritico legato, sed de hominis vita & existimatione agatur, *Ar. exerc. 17. tb. 8.* Et quamvis confessus pro iudicato habeatur *L. i. ff. de confess.* tamen nudæ furis confessioni per quæstionem extortæ stare non debet, iudex sed ad locum, in quo furtum factum dicitur, nuncium mittere, qui exploret, an res ita se habeat, *Sich. ad autb. sed novo jure n. 24. C. de serv. fugit.*

XIV.

Huic suspendii pœnæ variæ personæ eximuntur ob certas causas.

I. Ob ætatem & imperfectum iudicium Impuberes *l. 1. § 32. & seq. ad SC. Syllan. l. 108. de R. I. c. 1. extr. de del.* Minores, nam ubi minor dolus est, ibi delictum mitius punitur, *Berl. p. 5. concl. 44. nu. 38. Men. A. I. Q. cas. 239. nu. 11. & seq.* Senes, si repuerasce-re incipiant *per l. 2. ff. de term. mot. l. 5. in pr. ff. ad L. Jul. pecul. c. 24. dist. 86. Men. d. loc. Ebrii, per l. 6. § 7. ff. de remilit. l. 11. § 2. ff. de pœn. c. inebriarunt 16. q. 1. c. crapula extr. de vit. & potest cler. Borch. c. 3. de pact. nu. 15.* non etiam ebriosi, in quibus nullum exilium mentis *Gail. 2. obs. iii. nu. 28. Arum. exerc. 12. tb. 8. lit. B.* Quin imò & ebrius

& ebrius suspendi poterit, si edormita crapula perseverantia
& iudicium animi accedat *arg. l. 48. de R. I. Wes. in par. de injur.*
nu. 4. An etiam ut animi vitium, ita & corporis excusat? *Neg.*
2. Ob statum Nobiles *l. 1. in fin. ff. de fur. baln. l. 1. § 3. ff. de abig. G.*
Schönborn 3 pol. c. 20. pag. mibi 291. qui gladio solent percuti,
Berlich. p. 5. concl. 44. nu. 33. Clerici & Ecclesiasticae personae,
Berl. d. loc. 3. Ob alias diversas circumstantias, 1. Inventores
inventum occultantes, qui duplum praestant, aut aliam poe-
nam arbitriam subeunt, *Coler. decis. 149. nu. 6.* 2. Opem consi-
lium (quae verba quomodo accipiantur *vid. l. 53. ff. de V. S.*)
praestantes, aut indicio occasionem furibus praebentes, nisi
ipsi furandi actui interfuerint, tunc enim ut socii criminis
eandem poenam luunt, *Schneid. ad § interdum I. b. t. nu. 5. Wes. in*
par. nu. 11. b. t. Si furtum non fuerit infecutum, ob rem mali
exempli carceris poena illis imponitur *Wes. d. loc.* Quid di-
cendum de receptatoribus? Eos scilicet scientes eadem poe-
na, qua principalis afficitur, plectit *l. 1. C. de bis qui latron. l. 3. §*
3. ff. de incend. ruin. naufr. Landr. lib. 2. art. 25. in gl. ibi: Mithelffer.
Unde illud, *der Häler ist so gut als der stäler/ & c.* Quemadmo-
dum & eos, qui scienter rem furtivam emunt, nonnunquam
suspensos fuisse testis est *Berlich. p. 5. concl. 44. nu. 6.* 3. Qui fur-
tum non perficit, sed tantum attentat *Menoch. A. I. Q. c.*
360. nu. 6. & seqq. Quò pertinent & illi, qui citò, re adhuc inte-
gra, hoc est, antequam furti accusentur, rem domino restitu-
unt, *Nov. Aug. p. 4. c. 32 Sult.* 4. Necessitas quoq; famis excu-
sat *Treutl. disp. 30. tb. 3. lit. H.* nisi furtum fiat alii in eadem ne-
cessitate constituto *Clar. 5. S. R. § furtum nu. 97.* aut furtum sit
insigne *P. H. S. art. 166.* Non tamen ab omni poena, unde si
ad pinguiorem fortunam pervenerit, rem ablatam restitue-
re tenetur, *Treutl. d. loc.* De tabellionibus idem statuit *Wes. hic*
nu. 11. quantum ad hanc poenam; & eos tamen interdum la-
queo fuisse punitos exempla probant. Ad quem autem spe-
ctet

Et periculum, utrum ad creditorem aut debitorem, *vid.*
Sicb ad l. 7. nu. 11. cum seq. C. de furt. Hering. de fidejus. c. 20. § 27. nu.
21. & aliquot seqq. Jure Saxon. cum quantitas furti 20. fl. exce-
dit, tabellio furca punitur, sin minus, fustigatione, pro exi-
guo furto, carcere vel temporali relegatione Nov. Elect. Aug.
const. 41. p. 4. § fin.

XV.

Creditor rem moroso debitori clam auferens, furtum
quidem committit, ordinaria autem poena non plectitur.

Cui adjungimus famulos, dominis pro mercede aliquid
auferentes, hi enim proprie incidunt in poenam *l. 7. C. unde*
vil. 13. ff. quod met. caus. Sic uxor aut liberi furtum quidem fa-
ciunt, ob bonorum tamen communionem, arbitrariam tan-
tum poenam incurrunt, si delictum sit gravius, cum & olim
actione tantum rerum amotarum conveniri potuerint § 12.
I. b. t. excepto casu l. 52. § 5. ff. b. t. in filiofam. peculium castren-
se habente. Quod ipsum ad propinquos intra 4. gradum ex-
tendit Wes. nu. 8. b. t. non etiam ad ministros, qui hodie liberi
sunt homines, & ob fidem violatam graviori poena digni,
CL. Dn. Præcept. Herdes. exercit. 19. th. 7. lit. A. Sic ob qualitatem
personæ, cui furtum fit, ordinaria poena aliquando cessat, ut
si dominus sit dives *P. H. D. art. 160. v. vünd wie schädlich dem*
Beschädigten/etc. const. El. Aug. 32. p. 4. § 2. v. vnd deren eins theils:
Porro res ablatæ interdum hanc poenam mitigant, veluti
cum quis pisces in alienis aquis non inclusis capit, quamvis
sepius hoc iteret, arbitrariè punitur *P. H. D. art. 169. v. So a-*
ber einer. neq; extenditur poena ad furcam; secus, si in lacu-
bus, piscinis, vivariis, stagnis sit piscatus d. art. 169. v. Ist auch
einem Diebstal gleich/etc. Jure Saxon. priori casu fur 3. solidos,
qui 48. nummos exaquant, restitutis piscibus pendet; poste-
riori 30. solidos, reservata judici multa 60. solidorum, *Coler.*
decis. 146. nu. 2. Eadem poena irrogatur illis, qui arbores furtim
cædunt,

ardunt, deglabrant, cingunt, distinctione facta inter frugi-
feras, pro quibus præter emendationem, 30. solidi, & non
frugiferas, pro quibus 3. solidi exiguntur, eadem multâ Ju-
dici solvendâ, de qua supra, nisi damnum sit, insigne *Const. El.*
Aug. p. 4. c. 37. Treutler. disp. 30. tb. 2. lit. F. Berlich. p. 5. concl. 52. Inter
arborum & agrorum fructus distinguunt Interpp. inter cru-
dos & maturos, ut de illis ablati fur teneatur L. Aquila; ob
istos, si in eo ipso fundo, ubi decerpfit, comedit, nullam pœ-
nam incurrat *Deut. c. 23. v. 24. c. 1. § quicumq; c. discipulos de cōsecr.*
Si lucri causa alio transfert, furti quidem teneatur, sed non
pœna ordinaria l. 27. § 25. ad L. Aquil. P. S. S. art. 167. sub fine
CL. Dn. Præcept. Herdes. exerc. 9. tb. 7. in fin. Plura qui desiderat,
vid. *Berlich p. 5. concl. 44 per tot. & seq.*

XVI.

*Ex pr.
I. vi bon
rapt.*

Rapina est contrectatio rei fraudulosa & violenta,
Treutler. volum. 2. disput. 30. tb. 4. in princ. Res hîc, ut *supra in*
tb. 5. intelligimus mobiles, vis enim immobilibus illata pro-
priè invasio dicitur § 1. *in fin. l. b. 2.* & interdicto Unde vi coer-
cetur l. 1. *in pr. ff. de vi & vi arm.* item alienas; Qui tamen pro-
pria autoritate rem suam vi rapit, vitio non caret § 1. *l. b. t. l.*
pen. ff. ad L. Jul. de vi priv. Vid. ea, quæ supra ad tb. 5. & 15. diximus,
cùm semper in vi, quæ est de genere illicitorum, dolus præ-
sumatur, *Wes. in par. de vi bon. rapt. nu. 4.* Rapina etiam alia cir-
ta personas fit, & propriè raptus appellatur § 8. *l. de publ. jud.*
Schneid. ad pr. I. vi bon. rapt. de quo in tb. 19.

XVII.

Actio rapinæ ad quadruplum, cui etiam res ipsa inest, diri-
gitur, post annum utilem ad simplum.

In pr. l. b. t. quæ pœna seorsim absq; concursu aliarum acti-
onum considerata, annon mitior sit pœna furti, non sine ra-
tione quis dubitare possent, *Vid. Hunn. ad Treutler disp. 30. tb. 4.*
Convenitur quoq; raptor tanquam fur improbus actione
furti

furti utriusq; l. 80. § 3. ff. de furt. Hænon. disp. 18. tb. 19. itemq; ex L. Jul. de vi publica aut privata, l. 2. § 1. vi bon. rapt. quæ cum adversus raptorem quoq; ut dictum est, vigorem suum extendat, pauca exinde desumpta primis labris delibabimus. Vis, quæ rapinam à furto distinguit, vel publica est, vel privata, rubr. C. ad L. Jul. de vi publ. aut priv. Publica dicebatur olim, quam publicæ personæ citra jus inferebant, privata contra Harpr. ad § 8. l. de publ. jud. nu. 2. Postea vis publica dici cœpit, quæ cum armis, vis privata, quæ sine armis committitur, § recuperanda l. de interd. § 8 ubi Borcb. de publ. jud. Armorum appellatione veniunt omnia instrumenta ad nocendum aut defendendum apta l. 41. ubi Gadd. n. 8. de V. S. § 5. l. de publ. jud.

XVIII.

In crimen itaq; vis publicæ incidunt omnes, qui ad violentum usum arma cogunt aut circumferunt.

Varias hujus violentiæ species vid. in l. 2. § 2. de vi bon. rapt. l. 1. l. 3. 5. 6. 7. 10. ff. ad L. Jul. de vi publ. l. pen. l. ult. C. cod. Potiores sunt illi, qui ignes subjiciunt d. l. 5. seditioes excidant d. l. 3. aliquæ de possessione dejiciunt d. l. 3. l. 4. b. t. qui inimicitias capitales alteri denunciant, quæ denunciatio, si privato fiat, minæ, si reipub. diffidatio appellatur Schn. ad § 8 l. de publ. jud. n. 4. qui latrocinia exercent, &c. Item qui virginem, viduam, sanctimoniam, etiam propriam sponsam rapiunt l. un. C. de rapt. virg. § 8. l. de publ. jud. quod crimen multis nominibus à stupro violento differt. Berl. p. 5. concl. 41. de quo alio loco. Huc pertinet violatio pacis publicæ, inquam pleriq; incidunt supra recensiti cum nonnullis aliis, quos vid. apud G. Schönborn 4. pol. c. 7. Gail. tr. de P. P. passim. Vis privata quibus modis committatur, explicat l. 1. § 1. l. 2. 3. 4. 5. 6. l. pen. § ult. ff. ad L. Jul. de vi priv. l. 4. C. cod.

XIX.

Pœna quæ publica vis vindicatur, de jure civili est deportatio conjuncta cum bonorum ademptione.

d. § 8.

d. § 8. I. de publ. jud. junct. l. 7. C. ad L. Jul. de vi publ. & priv. Vult.
ad d. § 8. nu. 3. Bona autē illa non fisco, sed descendentes, a-
scendentes, collateralibus usq; ad 3. gradum applicantur,
aut b. bona damnatorum. C. de bon. damn. Quibusdam etiam pœ-
na capitis irrogata fuit, v. g. bucellariorum defensoribus. *l. fin.*
C. b. t. expugnatoribus alienarum ædium l. pen. in pr. b. t. acce-
dentibus ad aliquem expellendum, secuto sc. homicidio *l. 6.*
C. b. t. incendiariis l. fin. ff. de incendi. ruin. naufr. qui hodiè igni
traduntur *P. S. S. art. 125. latronibus l. 28 § pen ff. de pœn.* Ho-
diè latrones ob simplex latrocinium gladio prius percussis,
rotæ imponuntur, ob qualificatum, membra rotæ confrin-
guntur *Coler. decis. 138.* Sic qui virgines &c. rapiunt, ultimo
supplicio afficiuntur, § 8. I. *de publ. jud.* quorum bona mulieri
raptæ ex constitutione Justin. applicanda sunt *l. un. § 1. C. de*
rapt. virg. Neq; excusantur consensu mulieris, dolo aut blan-
dis verbis aliisq; malis artibus eā abducētes *l. 1. § 3. ff. de serv. cor-*
rump. nisi illa spontaneū præbuerit consensum, aut etiam virū
ad id sollicitaverit, *Dec. lib. 8. crim. c. 7. nu. 17. Petr. concl. crim. 105.*
Harpr. ad d. § 8. nu. 10. Mitigatur hæc pœna, si rapta nondum sit
carnaliter cognita *l. un. C. de rapt. virg.* 2. si sit meretrix *per d. l.*
un. quamvis maritata, arg. l. si ea l. qua adulterium C. ad L. Jul. de
adult. Petr. concl. crim. 101. Secus, si è meretricia vita pedem re-
tulit, ad honestiorem vivendi consuetudinem conversa *arg.*
l. 23. C. de nupt. Lenit quoq; pœnam matrimonium interveni-
ens, quod de jure Canonico *c. pen. & ult. de rapt.* permittitur.
Vel etiam, si raptor sit adolescens 16. aut 18. annorum, *Theod.*
disp. 16. coll. crim. t. b. 8. in fin. vid. supra t. b. 14. in pr. Deniq; si mulier
virum rapiat, *Harpr. d. loc. nu. 11.* major enim in fœmina pudic-
itia quā in viro requiritur *l. 2. § 1. C. de his qui ven. et at. impetr.*
l. 5. C. ad SC. Orfitian. & odiosa nō tam facilè sunt extendenda
c. odia extr. de R. I. in 6. Cæterum hodiè vis publicæ pœnam ar-
bitrariam esse asserit *Vult. ad § 8. I. de publ. jud. nu. 3.* & plerunq;
gladium

gladium P. H. S. art. 128. Tr. 2. disp. 31. tb. 4. lit. C. aut bannū im-
periale, cui violatores pacis publicæ subjiciuntur, Gail. 2. de
P. P. c. 1. nu. 20. Jure Sax. extra casum grassationis absq; latroci-
nio, & cædem: item exceptis diffidatoribus, insidiatorib. & c.
qui gladio feriuntur, cæteri carcere, relegatione, fustigatione
aut manus amputatione puniuntur Schn. ad § 8. I. de publ. jud.
h. 3. Vis privata tertiæ partis bonorum publicatione coerce-
tur ordinariè d § 8 Jure Sax. arbitraria est, Schn. ad d. § 8. nu. 5.
Clar. § fin. q. 83. Decian. 8. c. 1. num. 19. Vultej. ad d. § 8. num. 3.
Harpr. d. loc.

XX.

Punitur reus eo in loco, in quo reperitur cum rebus furtivis
aut raptis, interdum remittitur ad locum delicti precariò, ac
jure benevolentia & vitinitatis.

Gail. 1. de P. P. c. 16. nu. 3. Matth. Steph. 1. de jurisd. c. 30. n. 17. Olim
semper cum elogio captivi, vulgò *Brgicht* / remitti solebat
ad locum delicti l. *si cui* § ult. de accus. Condemnato ita ad mor-
tem reo, judex rem furtivam vero Domino restituere tene-
tur arg. l. 20. § 1. ff. de captiv. l. 1. l. 206. de R. I. c. locupletari extr. de R.
I. in 6. Hoen. disp. 18. tb. 4. P. H. S. art. 207. in pr. § §. So dann der
Kläger beweist, ubi contraria cōsuetudo aut statutum prorsus
improbatur, Recess. Imp. de an. 1559. v. vñ nach dem. Virg. Pingitz.
Q. I. S. 19. num. 8. § seq. De jure Sax. hæc constitutio art. 31. lib. 2.
Landt. existat, ut res furtiva, si intra annum & diem non repe-
tatur, judici in usum cedat, Nov. Aug. 33. p. 4. Schn. ad § fin. I. de
oblig. ex del. in fin.

COROLLARIA.

Si fur rupto laqueo decidat, quid juris? Ad minimum execu-
tio differenda est, reo in carcerem recepto, usq; dum certius
de veritate constet, præsertim si fur nec confessus, nec liquis-
dis probationibus fuerit convictus, nec ulla fraudis suspicio
subsit. Vid. Arum exerc. 17. tb. 8. Bachov. ad Tr. disp. 30. tb. 3. lit. G.

II. An.



II.

An fur à puella in matrimonium petitus liberetur à pœna ordinaria? Neg. per l. 3. C. de episc. aud. l. 27. l. 31. ff. de pen. Trent. l. 2. disp. 30. tb. 1. lit. Vid. Virg. Pingitz. q. 8. n. 3. & seq.

III.

An cadavera punitorum rectè relinquantur in furca? Affirmativa verior videtur ob exemplum & terrorem aliis incutiendum l. 6. § 1. l. 20. l. 28. § pen ff. de pen. l. 1. in pr. C. repet. c. quid erit go 23 q. 5. Sed an non repugnet jus naturale, gentium, civile, divinum, æquitas, reipub. salus, vid. Wes. in æcon. jur. ff. de cada. punit. Vid. l. 27 ff. de constit. instit. l. 1. l. 3. ff. de cada. punit.

IV.

An Judæus possit suspendi ut Christianus? Aff. 1. quia Judæi Romano jure utuntur, l. Judæi C. de Judæ. 2. quia sunt de corpore illius civitatis, in qua degunt, CL. Dn. Precept. Herdes. d. exerc. 19. tb. 6. lit. E. 3. quia nullibi aliud sancitum legimus.

V.

Quomodo puniantur, qui cadavera punitorum spoliant? Arbitrariè. Quod non extendimus ad eum, qui pecuniam in vestibis puniti occultatam aufert, Berlich. p. 5. concl. 48. n. 16. Qui verò ad magicas artes illis utuntur, de jure Saxon. relegatione aut alia pœna arbitraria puniuntur, p. 4. const. Aug. 34 Sult.

SOLI DEO GLORIA.


ULB Halle 3
003 254 984




Sb.

W017







B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

MANONA 1621

19

STIN. IMP.

ET

A.
Acultatis Juridica
ancofurtana

IO
LCKOVII

tifs. Dnn.
nandam

LAGIUS
ue solitis

XI.
IANIS.

Clarissimo et Excelle
tissimo Viro, Dn. M
PETRO à MENA, S.
lae Sedestanae ser
toniae Rectori felicis
simo, Dn. et promot
suo, omni obserua
tia colendo
mittit